

I *Medicamina faciei femineae*: un percorso di lettura.

L'avversione per il *cultus* degli elegiaci

Prop. 1,2,1-8

Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo  
et tenuis Coa veste movere sinus,  
aut quid Orontea crines perfundere murra,  
teque peregrinis vendere muneribus,  
naturaeque decus mercato perdere cultu, 5  
nec sinere in propriis membra nitere bonis?  
crede mihi, non ulla tua est medicina figurae:  
nudus Amor formam non amat artificem.

Tib. 1,9,67-74

Tunc putas illam pro te disponere crines  
Aut tunc denso pectere dente comas?  
Ista haec persuadet facies, auroque lacertos  
Vinciat et Tyrio prodeat apta sinu? 70  
Non tibi, sed iuveni cuidam vult bella videri,  
Devoveat pro quo remque domumque tuam.  
Nec facit hoc vitio, sed corpora foeda podagra  
Et senis amplexus culta puella fugit.

Prop. 1,15,1-16

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,  
hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.  
aspice me quanto rapiat fortuna periclo!  
tu tamen in nostro lenta timore venis;  
et potes hesternis manibus componere crines 5  
et longa faciem quaerere desidia,  
nec minus Eois pectus variare lapillis,  
ut formosa novo quae parat ire viro.  
at non sic Ithaci digressu mota Calypso  
desertis olim fleverat aequoribus: 10  
multos illa dies in comptis maesta capillis  
sederat, iniusto multa locuta salo,  
et quamvis numquam post haec visura, dolebat  
illa tamen, longae conscia laetitiae.

Prop. 3,13,1-8

Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,  
et Venere exhaustae damna querantur opes.  
certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:  
luxuriae nimium libera facta viast.  
Inda cavis aurum mittit formica metallis,  
et venit e Rubro concha Erycina salo,  
et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,  
cinnamon et multi pistor odoris Arabs.

Tib. 2,3,53-58

illa gerat vestes tenues, quas femina Coa  
texuit, auratas disposuitque vias:  
illi sint comites fusci, quos India torret  
Solis et admotis inficit ignis equis:  
illi selectos certent praebere colores  
Africa puniceum purpureumque Tyros.

*Cultus*=infedeltà

Prop. 1,2,23-26

non illis studium fucò conquirere amantes:  
illis ampla satis forma pudicitia.  
non ego nunc vereor ne sis tibi vilior istis:                   25  
uni si qua placet, culta puella sat est;

Prop. 1,15,5-8

et potes hesternos manibus componere crines                   5  
et longa faciem quaerere desidia,  
nec minus Eois pectus variare lapillis,  
ut formosa novo quae parat ire viro.

Ov. *Am.* 1,8,43-46

ludunt formosae; casta est, quam nemo rogavit—  
aut, si rusticitas non vetat, ipsa rogat.  
has quoque, quae frontis rugas in vertice portant,  
excute; de rugis crimina multa cadent.

45

L'eccesso di *cultus*

Ov. *Am.* 1,14

Dicebam 'medicare tuos desiste capillos';  
tingere quam possis, iam tibi nulla coma est.  
At si passa fores, quid erat spatiosius illis?  
Contigerant inum qua patet usque latus.  
Quid, quod erant tenues et quos ornare timeres, 5  
vela colorati qualia Seres habent,  
vel pede quod gracili deducit aranea filum,  
cum leve deserta sub trabe nectit opus?  
Nec tamen ater erat, nec erat tamen aureus ille  
sed, quamvis neuter, mixtus uterque color, 10  
qualem clivosae madidis in vallibus Idae  
ardua derepto cortice cedrus habet.  
Adde, quod et dociles et centum flexibus apti  
et tibi nullius causa doloris erant.  
Non acus abruptit, non vallum pectinis illos; 15  
ornatrix tuto corpore semper erat;  
ante meos saepe est oculos ornata nec umquam  
bracchia derepta saucia fecit acu.  
Saepe etiam nondum digestis mane capillis  
purpureo iacuit semisupina toro; 20  
tum quoque erat neglecta decens, ut Thracia Bacche,  
cum temere in viridi gramine lassa iacet.  
Cum graciles essent tamen et lanuginis instar,  
heu, mala vexatae quanta tulere comae!  
Quam se praebuerunt ferro patienter et igni, 25  
ut fieret torto nexilis orbe sinus!  
Clamabam 'scelus est istos, scelus, urere crines.  
Sponte decent: capiti, ferrea, parce tuo.  
Vim procul hinc remove: non est, qui debeat uri;  
erudit admotas ipse capillus acus' 30  
Formosae periere comae, quas vellet Apollo,  
quas vellet capiti Bacchus inesse suo;  
illis contulerim, quas quondam nuda Dione  
pingitur umentis sustinuisse manu.  
Quid male dispositos quereris periisse capillos? 35  
Quid speculum maesta ponis inepta manu?  
Non bene consuetis a te spectaris ocellis:  
ut placeas, debes immemor esse tui.  
Non te cantatae laeserunt paelicis herbae,  
non anus Haemonia perfi da lavit aqua, 40

nec tibi vis morbi nocuit (procul omen abesto),  
nec minuit densas invida lingua comas.  
Facta manu culpaque tua dispendia sentis;  
ipsa dabas capiti mixta venena tuo.  
Nunc tibi captivos mittet Germania crines; 45  
tuta triumphatae munere gentis eris.  
O quam saepe comas aliquo mirante rubebis  
et dices 'empta nunc ego merce probor.  
nescioquam pro me laudat nunc iste Sygambram;  
fama tamen memini cum fuit ista mea'. 50  
Me miserum! Lacrimas male continet oraque dextra  
protegit ingenuas picta rubore genas;  
sustinet antiquos gremio spectatque capillos,  
ei mihi, non illo munera digna loco.  
Collige cum vultu mentem: reparabile damnum est; 55  
postmodo nativa conspiciere coma.

### Ov. *Ars* 3, 101-250

Ordior a cultu: cultis bene Liber ab uvis  
provenit, et culto stat seges alta solo.  
Forma dei munus; forma quota quaeque superbit?  
Pars vestrum tali munere magna caret.  
Cura dabit faciem; facies neglecta peribit, 105  
Idaliae similis sit licet illa deae.  
Corpora si veteres non sic coluere puellae,  
nec veteres cultos sic habuere viros.  
Si fuit Andromache tunicas induta valentes,  
quid mirum? Duri militis uxor erat. 110  
Scilicet Aiaci coniunx ornata venires,  
cui tegumen septem terga fuere boum!  
Simplicitas rudis ante fuit; nunc aurea Roma est  
et domiti magnas possidet orbis opes.  
Aspice quae nunc sunt Capitolia, quaeque fuerunt: 115  
alterius dices illa fuisse Iovis.  
Curia consilio nunc est dignissima tanto,  
de stipula Tatio regna tenente fuit.  
Quae nunc sub Phoebos ducibusque Palatia fulgent,  
quid nisi araturis pascua bubus erant? 120  
Prisca iuvent alios, ego me nunc denique natum  
gratulor: haec aetas moribus apta meis,  
non quia nunc terrae lentum subducitur aurum  
lectaque diverso litore concha venit,  
nec quia decrescunt effosso marmore montes, 125  
nec quia caeruleae mole fugantur aquae,  
sed quia cultus adest nec nostros mansit in annos  
rusticitas priscis illa superstes avis.  
Vos quoque nec caris aures onerate lapillis,  
quos legit in viridi decolor Indus aqua, 130  
nec prodite graves insuto vestibus auro:

per quas nos petitis, saepe fugatis, opes.  
Munditiis capimur: non sint sine lege capilli;  
admotae formam dantque negantque manus.  
Nec genus ornatus unum est: quod quamque decebit 135  
eligat et speculum consulat ante suum.  
Longa probat facies capitis discrimina puri:  
sic erat ornatis Laodamia comis.  
Exiguum summa nodum sibi fronte relinqui,  
ut pateant aures, ora rotunda volunt. 140  
Alterius crines umero iacentur utroque:  
talis es adsumpta, Phoebe canore, lyra.  
Altera succinctae religetur more Dianae,  
ut solet, attonitas cum petit illa feras.  
Huic decet inflatos laxae iacuisse capillos, 145  
illa sit adstrictis impedienda comis.  
Hanc placet ornari testudine Cyllenea,  
sustineat similes fluctibus illa sinus.  
Sed neque ramosa numerabis in ilice glandes,  
nec quot apes Hybla nec quot in Alpe ferae, 150  
nec mihi tot positus numero comprehendere fas est:  
adicit ornatus proxima quaeque dies.  
Et neglecta decet multas coma: saepe iacere  
hesternam credas, illa repexa modo est.  
Ars casum simulet: sic capta vidit ut urbe 155  
Alcides Iolen, 'hanc ego' dixit 'amo'.  
Talem te Bacchus Satyris clamantibus 'euhoe'  
sustulit in currus, Cnosi relictas, suos.  
O quantum indulget vestro natura decori,  
quarum sunt multis damna pianda modis! 160  
Nos male detegimur, raptique aetate capilli,  
ut Borea frondes excutiente, cadunt.  
Femina canitiem Germanis inficit herbis,  
et melior vero quaeritur arte color;  
femina procedit densissima crinibus emptis 165  
proque suis alios efficit aere suos.  
Nec rubor est emisse: palam venire videmus  
Herculis ante oculos virgineumque chorum.  
Quid de veste loquar? nec vos, segmenta, requiro  
nec te, quae Tyrio murice, lana, rubes. 170  
Cum tot prodierint pretio leviores colores,  
quis furor est census corpore ferre suos?  
Aeris, ecce, color, tum cum sine nubibus aer  
nec tepidus pluvias concitat auster aquas;  
ecce tibi similis, quae quondam Phrixon et Hellen 175  
diceris Inois eripuisse dolis.  
Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis:  
crediderim Nymphas hac ego veste tegi;  
ille crocum simulat (croceo velatur amictu,  
roscida luciferos cum dea iungit equos), 180  
hic Paphias myrtos, hic purpureas amethystos  
albentesve rosas Threiciamve gruem.

Nec glandes, Amarylli, tuae, nec amygdala desunt,  
et sua velleribus nomina cera dedit.  
Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti 185  
vitis agit gemmas pigraque fugit hiems,  
lana tot aut plures sucos bibit: elige certos,  
nam non conveniens omnibus omnis erit.  
Pulla decent niveas: Briseida pulla decebant;  
cum rapta est, pulla tum quoque veste fuit. 190  
Alba decent fuscas: albis, Cephei, placebas;  
sic tibi vestitae pressa Seriphos erat.  
Quam paene admonui, ne trux caper iret in alas  
neve forent duris aspera crura pilis!  
Sed non Caucasea doceo de rupe puellas 195  
quaeque bibant undas, Myse Caice, tuas.  
Quid si praecipiam ne fuscet inertia dentes,  
oraeque suscepta mane laventur aqua?  
Scitis et inducta candorem quaerere creta;  
sanguine quae vero non rubet, arte rubet. 200  
Arte supercilii confinia nuda repletis  
parvaeque sinceras velat aluta genas.  
Nec pudor est oculos tenui signare favilla  
vel prope te nato, lucide Cydne, croco.  
Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae, 205  
parvus, sed cura grande, libellus, opus.  
Hinc quoque praesidium laesae petitote fi gurae;  
non est pro vestris ars mea rebus iners.  
Non tamen expositas mensa deprendat amator  
pyxidas: ars faciem dissimulata iuvat. 210  
Quem non off endat toto faex illita vultu,  
cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus?  
Oesyra quid redolent, quamvis mittatur Athenis  
demptus ab immundo vellere sucus ouis!  
Nec coram mixtas cervae sumpsisse medullas 215  
nec coram dentes defricuisse probem.  
Ista dabunt formam, sed erunt deformia visu,  
multaque, dum fiunt turpia, facta placent.  
Quae nunc nomen habent operosi signa Myronis,  
pondus iners quondam duraque massa fuit. 220  
Anulus ut fiat, primo colliditur aurum;  
quas geritis vestes, sordida lana fuit.  
Cum fi eret, lapis asper erat; nunc, nobile signum,  
nuda Venus madidas exprimit imbre comas.  
Tu quoque dum coleris, nos te dormire putemus: 225  
aptius a summa conspiciere manu.  
Cur mihi nota tuo causa est candoris in ore?  
Claude forem thalami: quid rude prodis opus?  
Multa viros nescire decet; pars maxima rerum  
off endat, si non interiora tegas. 230  
Aurea quae splendent ornato signa theatro  
inspice, contemnes: brattea ligna tegit.  
Sed neque ad illa licet populo, nisi facta, venire,

nec nisi summotis forma paranda viris.  
At non pectendos coram praebere capillos, 235  
ut iaceant fusi per tua terga, veto.  
Illo praecipue ne sis morosa caveto  
tempore, nec lapsas saepe resolve comas.  
Tuta sit ornatrix: odi, quae sauciat ora  
unguibus et rapta bracchia fi git acu. 240  
Devovet, ut tangit, dominae caput illa, simulque  
plorat in invisas sanguinolenta comas.  
Quae male crinita est, custodem in limine ponat  
orneturae Bonae semper in aede Deae.  
Dictus eram subito cuidam venisse puellae: 245  
turbida perversas induit illa comas.  
Hostibus eveniat tam foedi causa pudoris  
inque nurus Parthas dedecus illud eat!  
Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus  
et sine fronde frutex et sine crine caput. 250

*Ov. Rem.* 343-356

Auferimur cultu; gemmis auroque teguntur  
omnia; pars minima est ipsa puella sui.  
Saepe ubi sit, quod ames, inter tam multa requiras; 345  
decipit hac oculos aegide dives Amor.  
Improvisus ades, dependes tutus inermem:  
infelix vitiis excidet illa suis.  
Non tamen huic nimium praecepto credere tutum est:  
fallit enim multos forma sine arte decens. 350  
Tum quoque, compositis cum collinet ora venenis,  
ad dominae vultus, nec pudor obstet, eas.  
Pyxidas invenies et rerum mille colores,  
et fluere in tepidos oesypa lapsa sinus.  
Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas: 355  
non semel hinc stomacho nausea facta meo est.

*Ov. Ars* 1,505-524

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos, 505  
nec tua mordaci pumice crura teras.  
Ista iube faciant, quorum Cybeleia mater  
concinitur Phrygiis exululata modis.  
Forma viros neglecta decet; Minoida Theseus  
abstulit, a nulla tempora comptus acu; 510  
Hippolytum Phaedra, nec erat bene cultus, amavit;  
cura deae silvis aptus Adonis erat.  
Munditie placeant, fuscentur corpora Campo;

sit bene conveniens et sine labe toga.  
‡lingua ne rigeat‡; careant rubigine dentes; 515  
nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.  
Nec male deformat rigidos tonsura capillos:  
sit coma, sit trita barba resecta manu.  
Et nihil emineant et sint sine sordibus ungues,  
inque cava nullus stet tibi nare pilus. 520  
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris,  
nec laedat naris virque paterque gregis.  
Cetera lascivae faciant concede puellae  
et si quis male vir quaerit habere virum.

Confronto con le Georgiche (Verg. *georg.* 2,458-474)

O fortunatos nimium, sua si bona norint,  
agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis  
fundit humo facilem victum iustissima tellus. 460  
si non ingentem foribus domus alta superbis  
mane salutantum totis vomit aedibus undam,  
nec varios inhiant pulchra testudine postis  
inlusasque auro vestis Ephyreiaque aera,  
alba neque Assyrio fucatur lana veneno, 465  
nec casia liquidi corrumpitur usus olivi;  
at secura quies et nescia fallere vita,  
dives opum variarum, at latis otia fundis,  
speluncae vivique lacus, at frigida tempe  
mugitusque boum mollesque sub arbore somni 470  
non absunt; illic saltus ac lustra ferarum  
et patiens operum exiguoque adsueta iuventus,  
sacra deum sanctique patres; extrema per illos  
Iustitia excedens terris vestigia fecit.